Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



per anagogiam desiderandorum delectabiliter: quatenus sic purgati per virtuosam operationem, illuminati per radiosam fidem, et perfecti per ardentissimam charitatem, perveniamus ad bravium aeternae felicitatis, in cuius inquisitione summa consistit sacrae theologiae profunditas et sublimitas.

Cap: VII. De modo tractandi in progressu sacrae scripturae.

Diximus autem progressum sacrae scripturae secundo loco in modo tractandi sive procedendi consistere: unde operepretium est studentem theologiae, eundem etiam superficietenus saltem praecognoscere: Hic enim duplex in theologia habetur, sicut quod dupliciter theologica discenda praeponuntur. Praeponuntur enim uno modo per modum artis et scientiae explicitae, et id quidem perfectis ut D. Paulus ait: Sapientiam loquimur inter perfectos, et tunc istius dicitur modus est perscrutatorius, rationativus, et per rationes ad fidei defensionem, adversariorum confutationem, infirmorum confirmationem, et perfectorum in theologicis delectationem, disputativus, inquisitivus, et probativus dicente Richardo: Credo, sine dubio ad quorumlibet explanationem necesse est, non modo probabilia sed et necessaria argumenta nobis non deesse: licet contingat nostram industriam latere. Hunc tractandi modum magister cum suis doctoribus observat, qui theologiam de credibilibus, non ut solum credibilia sunt, sed ut factis per donum scientiae et intellectus intelligibilibus versat, asservante hoc beato Augustino dum ait: Adversus garrulos rationatores, elatiores magis quam capaciores, rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem fidei et assertionem est utendum. Prae-

[margin: l. de Trinit:]